

εξελαυνομενοι interiisse, atque adeo supplendam esse, a viris Doctis observatum est. (d) Ipse etiam laudatus Strabo l.c. disertissimis verbis scribit, agens de hac Rheni ora: *πάσης δ' υπερκεινται της ποταμιας ταυτης οι Σουηβοι προσαγορευομενοι Γερμανοι, και δυναμει και πληθει διαφεροντες των αλλων, Omnes hanc ripam adcolunt Germani, Suevi dicti, fortitudine ac multitudine ceteros præstantes*(e) Denique hæc Ubiorum cis Rhenum fuga incidit in annum Æ. C. circiter XXXV. atque ita longo temporis intervallo post Suevorum ad Rheni ripam, Ducibus **NASUA & CIMBERIO**, adpullum. Quotus quisque nunc est adeo nullius iudicii, qui non videat, Suevos, Ubiis expulsis, eos occupasse limites, quibus hodiernum *Vetteravia, Hercinie silva* illa pars, quam vernacule **Westerwald** vocamus, oppida quoque *Marpurgum, Gissa*, & quidquid terrarum montem inter *Taunum* (vulgo *Heirich*) ex adverso *Mogantiaci*) & *segodunum*, hodie *Sigenam*, situm est, circumscribitur? Quid igitur magis conveniens, quam ut inde concludamus, **NASIAM** nostrum ad *Lonam* fluvium arcem, ut præsidio sibi suisque esset contra Romanorum aliarumque gentium cum his lociatarum impulsiones, condidisse, & ab suo nomine **NASSAVIAM** adpellasse.

XVII.

Quod IV. convenientia nominum, quæ manifestissima est, satis firmat superque. Quid enim Germ. **Nassau** ad fine magis est, quam *Nasua*, & fortiori pronunciatione *Nassua*? Hoc vero nominis a montis situ propter humentia prata rivorumque delicias arci esse inditum, adseverare velle nimis mihi jejunum videtur. Nobilior erat arx, quam ut adeo vulgari nomine,

mine,